immer

IO. IACOBI REISKE
ANIMADVERSIONES
AD
SOPHOCLEM.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

MAGNIFICO

ET

AMPLISSIMO

VRBIS LIPSIENSIS

SENATVI

LIBELLVM HVNC

D. D. D.

IO. IACOBVS REISKE.

VIRI ILLVSTRES, MAGNIFICI, AMPLISSIMI CONSVLTISSIMIQVE PATRONI OMNI HONORIS CVLTV PROSEQVENDI.

Brevem hunc libellum ut Vobis inſcriberem fecit cum egregia Veſtra erga bonas literas ornandas voluntas, tum loci, qui locuples ejus teſtis eſt, natalesque huic opellæ dedit, memoria. Bibliothecam ſignifico, quam præſidium ingeniis, decus

urbi,

urbi, documentum virtutis vestræ ad posteros, condidistis, augetis in dies, & publicis usibus permittitis, instructissimam. Sereno velim vultu accipiatis exiguum quamvis testimonium grati animi, quo indultum mihi tot annis tantæ gazæ usum prosequor. Faxit Deus ut Vrbem hanc, qua sapientia & felicitate hactenus rexistis, eadem porro videatis quam diutissime florentem; transmissoque ad posteros librario Vestro thesauro doceatis eos, nulli civitati absque literis bene esse posse. Scribebam Calendis Sept. MDCCLIII.

Fax, quæ Sophoclem, & ſplendida Græciæ
Quondam in favillas nomina tot dabas,
Raptam rogo te quaſſit Orci
Læta malis lacrymisque Alecto,

Spectanda ſæclis perdere geſtiens,
Non deſituris munera Palladis,
Quis Gratiæ & Muſæ Venusque
Ferre ſuas ſtuduere dotes.

Vngues, decoros in tragici gregis
Vultus, Jaccliique in nitidas comas
Secti, exſecrandus vos Alaſtor,
Horrida vos furiavit Ate,

Dignos tonantis fulminibus Jovis,
Et contumaci Cimmeria nive,
Vrſisque cognatis, Hymetto
Atque Helicone procul perire.

Ploro, ingemiſco, rideo, ringor ad
Abſurda ſortis ludibria, Arcadem in
Doctum & Bœotum ſævientis
Atque alios numero carentes,

Dignos Coluthis, & Charitonibus,
Et impudicis mille Stratonibus,
Et victima quacunque vili,
Cara diis capita, expiari.

Sævæ bipennes nubium ubi accolas
Sternunt cupreſſos, ſæcla quid humiles
In nos myricas? quam parabunt
Barbarieis nequiora cladem?

Horres quidem hirtum tu Gepidam & ſtupes,
Divina quem non vox ſapientiæ,
Teſtudo veſanum canora
Non tenet exitiis ruentem.

Cui ridet enſis vulneribus rubens,
Alliſa ſaxis cui capita aſperis
Queſtuique inexſpirans gementi
Vita animum exhilarant ferinum.

Cui

Cui signa festinos remorantia,
Et plena doctorum horrea codicum,
Aedesque regum sumtuosas,
Vrere, spargere, erat triumphus.

At, o puellæ pulle Dioneæ,
Illone tu quid, dic, rogo, mitius?
Offerte pastillis, faceta
Francia quîs thymelas respergit.

Demosthenem, aude proloqui, & Attica
Versas tyrannum febris? & Attico
Socco potentes & cothurno,
Eloquii sapientiæque


Exempla prima & summa? quibus patrum
Nil vidit ætas par, neque nostra, nec
Prodent nepotes; ossa quorum
Sparsa, levesque velut favillas,

Ingentium olim fragmina corporum,
Pridem, tuo si res studio staret,
Obliviosi regna Ditis
Cyaneamque ratem subissent.

Quæ te novorum lumina fascinant,
Accensa ab arjs sunt veterum. Novi,
Quod luna soli, sunt vetustis.
Hos deme, luridi erunt & illi.

Legem ferebas qui mihi parvulo hanc:
I, disce vulgo dissita & esuri:
O sortis, o vitæ ingeniique
Arbiter & pater alme nostri,

Heroas ævi fac veteris colam,
Fac æmuler, (nam non licet assequi)
Fac in sinu hos gestem, insenescam his
Suavibus immoriarque amicis.



LECTORI ERVDITO
S.

Sophoclis & omnis pæne Græcæ literaturæ amorem primus mihi inſpiravit *Albertus Schultens*, vir laudibus meis major, quem qui plus illis literis, quas orientales appellari conſuetudo vicit, quam Græcis & Latinis valuiſſe exiſtimant, nae illi dotes Viri perſpectas non habent omnes. Cujus quum primum adeſſem ſcholis, Leidæ recens incola, (juvat enim frequenti, quamvis γλυκυπίκρῳ, memoria, vel poſt tertii luſtri decurſum, loca & tempora recolere, quibus haud contemnendam ætatis partem non injucunde egi:) interpretans Vir ſummus, narrationem unam aliquam illarum numero quinquaginta, quas, ab *Haririo*, homine doctiſſimo ſui ſermonis & eloquentiſſimo conditas, Arabes æque, atque nos Tul-

 lium

lium, ſtudioſe lectitant, prælegunt juvenibus, imitantur; quarum exemplum nitide exaratum in Bibliotheca Ampl. Senatus Lipſienſis exſtat; diſputabat de neceſſitate ſtudia literarum elegantiorum cum ſtudiis linguarum orientalium copulandi. Mancas unas abſque alteris eſſe, penes illos quidem, qui oraculorum divinorum Hebræo ſermone conſignatorum intelligentiam & interpretationem profiterentur. Aliis, quos verſare manu ſedula Græcos codices juvaret, tantum prodeſſe ad percipiendos atque reddendos Pindari, Aeſchyli & totius tragici chori, ſublimes ſenſus, contractam cum Arabum magnificentia familiaritatem, quantum ad Arabicos poëtas legendos conferat ſubactum uſu Græcorum & aſſuetum grandibus imaginibus ingenium afferre. Nam ab orientalibus ad Græcos cum literarum, tum ſentiendi & enuntiandi quoque formas tranſmigraſſe, quarum reliquis longo temporis tractu obſcuratis & peregrinitate confuſis, inſignes ſuperare notas in tragicis & dithyrambicis. Quam ipſam ſententiam nuper in hac Acad. Celeb. *Erneſtius* edita proluſione *de veſtigiis linguæ Hebraicæ in lingua Græca* demonſtratam dedit. Mitto reliqua, quibus *Schultenſius* connubium utriuſque

que

que literaturæ præſenti coronæ, in qua mecum *Valckenarius*, & *Kocherus*, ambo doctiſſimi & clariſſimi Profeſſores, Franequeræ illæ, hic Bernas in patria, aderant, laudabat & commendabat. Id unum addam, præclaro Viro me notitiam Pindari, Aeſchyli, Sophoclis, Euripidæ, quorum vix nomina tum temporis tenebam, debere. Tollebat Aeſchylum & Pindarum, ut ab orientalium, quam ipſe appellabat, ſublimitate & magnificentia proximos; (veteres Aſiatici tumoris nota inurebant:) at tam alte eos in nubes evehi, ut paucos affirmaret fore, qui valerent ſcandentes oculis atque curſu conſequi. Non contemnendam, neque vilem eſſe Euripidæ humilitatem, quamvis Sophoclis cothurno minorem. Sophoclem autem, medium inter iſtam ſobrietatem & illas debacchationes, ita præſtare collegis ambobus, ut, eum qui percalleret, pronunciaret illi eſſe, unde non mediocriter de ſuis profectibus exiſtimaret, & firmas ad omne literarum genus anſas. Senſi mihi ea oratione igniculos ad captandam eam palmam injectos, neque ante quievi, quam illos, quos iterum jam atque iterum laudavi, præter Pindarum, omnes deguſtaſſem. Et Aeſchylum quidem, poſtquam ſalutavi, ex-

a 2 plo-

ploratoque ejus ingenio constitit, illi cum meis moribus haud convenire, missum hominem feci. Verba non venor, fumos fugio, qui, ni urant, tenebras certe suffundunt. At cum Sophocle & Euripida cohabitare ab eo inde tempore, & in votis habere cœpi, ut mihi contingeret opportunitas bene de nobilissimo pari merendi; quorum neutrum in manus sumo, quin orationis illius Schultensianæ meminerim. At vos quidem, sancti manes, idem forte, qui olim Achilleos ad Trojanum omne nomen, sensus ferit, succensentes silentium vestrum inimica comitate turbari. Quæ vero tandemcunque inter nos scæva intercessere, quæ non intercessisse, quam fastis eximi, mallem, non tamen ita mei sum oblitus officii, neque tam minutus animi & irarum tenax, aut in mutum loquax & protervus, ut convitiis grassando animum expleam, ut debitas, homini profecto, a quo humani nihil abesset, at præclaro tamen homini laudes aut negem, aut, ubi vel absque invidia non promere liceret, premam. Ego vero id celare nolo, quo tempore Leidam appellebam, Græcam literaturam, ni Schultensium invenisset conciliatorem & vindicem, parum abfuisse quin per reliquos frigeret,

Leidæ

Leidæ igitur, eo, quo dixi, ſuaſore & tempore, dudum ante, quam ad Petronii edendi curam vocarer, quod illi dictum velim, qui de illa mea editione in Actis Eruditorum pro inſigni ſuo celebratiſſimoque naſo & ſapientia incredibili ita judicavit, ut videatur præter ſe magiſtrumque ſuum Græce & Latine doctum hominem eſſe neminem exiſtimaſſe, tum igitur, inquam, conſueſcere Sophocli & Euripidæ cœpi, quorum hic quidem propediem, numine propitio, τὰ τροφεῖα nanciſcetur. Eſt enim Euripides ille, qui primus de rebus humanis me recte & vulgo diverſe & non humiliter ſentire docuit, animumque præceptis ſapientiæ inſtruxit. Quapropter eum tanti facio, ut, tametſi Sophocle multis modis inferiorem probe norim, ab eaque re diſſimulanda tantum abſim, ut, ſi qui ſint, qui amorem poetæ meum ex accuſationibus graviſſimis metiantur, quibus eum paſſim oneravi & tantum non obrui, verendum ſit, ne illis Euripidam flocci non facere videar: tamen, ſi alterutrius optandi neceſſitatem nulla ratione poſſem detrectare, pedeſtrem & ſaxeum mihi aliquando dictum poetam non dubitarem vel Sophoclis jactura, at quanti, quam mihi cari capitis, redimere. Ad Sophoclem

clem autem ut hoc tempore animum adverterem, quo id a me minime exſpectetur, caſus effecit. Nam olim quidem, quum, qua liberet, liberum erat in hortos Muſarum exſpatiari, vix ibat annus, quin aut hujus aut illius tragici, aut amborum, aut particulas, aut omnes reliquias legendo exſequerer. Ex quo autem edendorum, Abilfedæ primi, tum Conſtantini Porphyrogenneti, geminum onus humeris ſuſcepi, (hujus quidem auſpicatiore omine, Arabis autem, juſſu librarii Batavi, qui ubi perfectum a me opus intellexit, me deſeruit, ſciat ipſe qua fide) luſtro integro, & quod excurrit, longe mihi fuere Muſæ Atticæ. Amandandæ illæ in angulum erant, e cujus tenebris & pulvere eas protrahere citius, quam tertio ferme abhinc menſe, non licuit, quando commentarios in Conſtantinum opinione citius, quod propitio numini gratus debeo & in acceptis refero, detextos habui, opus cum natura ſua tædii plenum & arduum, tum mihi tanto impeditius, quod in non ſperantem & imparatum ſubito, velut e præcipiti ſcopulus, devolutum fuiſſet. Sic igitur ægre & dubio eventu tandem amolitus grave onus, nihil habui antiquius, quam ut contractas ab ævi medii barbarie,

rie, quicum mihi lactandum fuerat, ſordes abſtergerem, & exhauſtas continuo labore corporis animique vires cupito & conſueto pabulo reficerem. Fieri nequit, ut carcere emiſſus, ut qui cum bona valetudine poſt diuturni morbi tædia in gratiam redit, de libertate recuperata, de ſuperato periculo tantopere ſibi gratuletur & gaudeat, aut idem ſentiat, quod a Conſtantino abſolutus ſenſi. Tunc enim reſpiravi, & excuſſi veternum & vivere denuo cœpi, & immerſi me pronus in veterum Græcorum lectionem, e qua voluptatem, præfiſcine dixerim, exſpectatione longe majorem percepi, guſtatu longa abſtinentia exacuto. Succurrebat tum temporis memoria codicis manu exarati, quem Bibliotheca Ampl. Senatus Lipſienſis tenet. Cujus uſum roganti mihi conceſſit, qua eſt erga me & literarum amantes omnes eximia indulgentia illuſtris *Maſcovius*, in quo Viro doctrinarum, an humanitatis, an dignitatum denique ſplendorem copiamque magis ſuſpiciam prædicemque neſcio. Hic igitur eſt ille Codex, quem hoc opuſculum *Lipſienſem* appellat.

Chartaceus eſt, non admodum antiquus, notæ non infimæ. Tenet Theo-

 criti

criti octo prima Idyllia cum scholiis, tum Hesiodi opera & dies item cum scholiis non pœnitendis, & a Tzetzæ opere diversis, & denique tres primas Sophoclis fabulas, cum scholiis pariter, illis, quæ *Thomas Johnson* ad Ajacem & Electram primus edidit, geminis germanis. Habebam A. 1741. Leidæ penes me ab optimo *Dorvillio* commodo datum similem Codicem, qui etiam Sophoclis fabularum illud idem, quod modo dicebam, par, Hesiodi non memini quid, & Aristophanis Plutum & Nubes tenebat, unde *Hemsterhusius*, præclarum & venerabile nomen, scholia primus illi ejus fabulæ, *Pluti* puta, editioni, quæ ipsi debetur, addidit. Nisi memoria fallit, (& mirer profecto ni falleret, tamdiu Belgii exulem) fuit eadem manus, quæ Dorvillianum & Lipsiensem hunc exaravit. Forma enim literarum in utroque conspicitur eadem, si memoria recta subjicit. Caret quidem ævi nota Codex Lipsiensis; at, si dextre conjicio, ad Sæculum XV. adolescens pertinet. Nam in Dorvilliano notam Anni 1430 reperiit *Hemsterhusius*. v. præfation. p. XIV. Lectiones mihi præstitit Codex Lipsiensis, quales a talibus eaque ætate exspectari fas est, cum multis malis, haud paucas probas,

bas, quæ operæ pretium facerent; ut specimina per hoc opusculum sparsa fidem facient; quamvis diffiteri non debeam multas earum a *Thomo Johnsono* etiam in Codicibus Anglicanis observatas & sub finem suæ editionis propositas fuisse.

Versanti ergo Sophoclis exaratum manu Codicem & cum editis comparanti, fieri nequibat, quin sub manu nascerentur de locis bene multis pristinæ integritati restituendis conjecturæ. Quas dum ad veteres, olim in adversaria conjectas exigo, deprehendi verum esse, quod Flaccus monuit, scripta, quæ quidem perfecta & duratura habere velis, nonum in annum debere intus posita contineri, neque nisi multa die & multa litura perfici. Recta mones, Flacce. Dudum enim scripta & seposita ubi resumas in manus, & lustres velut non tua, deleta omni vetere memoria, illoque, quo erga nostra quisque ferimur, affectu exstincto, multa pro tuis non agnosces, improbabis, expunges, pro quibus olim, tanquam pro aris & focis, pugnasses; sævus stylus teque lectoribusque indigna confodiet, neque nisi vita dignis parcet; occurrent alia, olim fugitantia, quæ, qui fieri potuerit, ut tum non observares, mireris, neque exputes;

ut brevis sim, nova prorsus crescet commentationi facies, judicio annis firmato. Quod ipsum in his Sophocleis mihi contigit. Nam vetustas illas schedas retractans, mirabar, quam parum tum temporis vidissem, quam prave sæpe conjecissem, quantulum ea omnia qualiacunque ad intelligendum & emendandum poetam conferrent. Minus mirabar, qui factum esset, ut tot affectos locos dissimularent, relinquerent certe intactos, viri apprime docti & gnavi. Laudem enim illam quis est qui *Henrico Stephano* & *Guilelmo Cantero* deroget? quorum in Tragicos Græcos merita, quantum ardeo æquare, tantum despero id unquam consecuturum me esse. Sed videntur viri docti, quotquot libros Græcos & Latinos primi aut secundi in lucem ediderunt, in eodem mecum pistrino desudasse. Creat vastus suscepti operis ambitus & agendorum notandorumque copia obruens tædium, & conjicit in trepidationem distrahitque ad diversa & animi nervos remittit. Nam qui laudatos duo viros iisque similes haud pares fuisse iis inveniendis, in quibus nos nobis tantopere placemus, nae ille sibique illisque grandem facit injuriam, ultra illos modulumque suum sese arrigens, absque

quorum

quorum laboribus, doctrina & exemplis, quæ, quanta sint, ignorat, eo, quo pervenit, non evasisset. Inhumanus est & literata civitate exigendus, qui tantos ac tales irreventer habet, & livore atque contumeliis adspergit. Qui modicum, aut, ut rectius dicam, perexiguum usum librorum Græcorum calamo exaratorum habui, probe tamen didici teneoque, tam immani & prodigiosa eos mendarum colluvie scatere, tam esse implicite, distorte, obscure, inscienter exaratos, ut quos sua sors ordoque temporum ad expurgandas illas mendas, velut ad metalla, damnaverit, æquum & humanum sit eos opera sua rudiuscule defungi, contentos maxima scoriarum parte aurum suum liberasse.

Ab *Henrico Stephano* & *Guilelmo Cantero*, hoc est ab A. 1579. inde ad nostram ætatem, ducentis propemodum annis, nemo fuit, quem, possis in ornando Sophocle operæ precium fecisse dicere. Recoxit quidem *Paulus Stephanus* A. 1604. Genevæ paternam editionem; sed ea supinitate, eaque paterni exempli dissimilitudine, ut in ea neque curam exigendorum sphalmatum typographicorum, quæ patri, quotquot curaret libros edendos, sapienti quidem,

dem, prima & præcipua erat, eodem, atque pater, loco haberet; & tam segnis atque inertis daret exemplum, quam gnavi & docti pater dederat, nullum edens librum, suis animadversionibus non dotatum, totamque pæne vitam lituris exarandis & extemporalibus commentationibus scriptitandis consumens, quas mox in typographeum mitteret excudendas. Paulus e contrario Sophocli de suo nihil addidit, præter trium quatuorve versuum perobscuram & inficetam præfatiunculam. Ne id commemoremus, nam leve est, per Paulum defecisse gentile decus, Stephanis mundarum chartarum, nitidorumque typorum & monstrandæ in excudendo magnificentiæ atque liberalis ingenii studio comparatum. Excusari hoc quoque, & pietati imputari potest, Paulum maluisse patris editionem, quam Canteri reddere, tametsi omnium, quotquot vidimus, emendatissimam. Hoc porro sæculo ineunte fuit in Anglia *Thomas Johnson*, qui Sophoclis Ajacem & Electram A. 1705. & triennio post Antigonam atque Trachinias, specioso profecto cultu, neque nullo prorsus operæ pretio ederet. Nam præter chartarum & typorum illecebras, a se collectas ille V. D. dedit ex anti-

antiquis editionibus & codicibus Anglicanis manu exaratis varias lectiones, e quibus Sophoclis cum lector, tum editor, haud parum proficiat. Additæ ab eodem notulæ quanti faciendæ ſint, melius me dixerit, qui ſub examen vocaverit; quod facere mihi neque libuit, neque vacavit. Quæ *Richardus Dawes* in Miſcellaneis Criticis ad Sophoclem attulit, qualia ſint, dicere nunc non habeo, quod eo temporis ſpatio, quum libri copia eſſet, fuit autem illud exiguum, ea illinc excerpere non curaverim. Memini tamen adhuc ex uſu libri, & e judicio, quod de illo in Actis Eruditorum A. 1751. tuli, auctorem ejus, hominem acuti, & ſæpe felicis ingenii eſſe, verſatumque in poetis Græcis, ut dubium non ſit, ab eo ad Sophoclem haud parum commodi acceſſiſſe. At ex profeſſo tamen poetam non tractavit, ſed, ut libuit, locos ejus quosdam delectos eosque forte non admodum multos expoſuit; de quo viderint penes quos liber eſt his in oris inventu rarior.

Hortandus igitur Tu mihi es, *Valkenari* doctiſſime, ut, quod olim conceptum excutere deinceps tam levi de cauſſa non debueras, conſilium edendi Sophoclis reſumas, eique operi, cui Tu, ſi quis alius,

par

par es, alacriter Te accingas: Mendacem & claudicantem famam, quæ Teque nosque ludi fecit, e Germaniæ septentrione coorta, miror tantum in Te valuisse, ut a præclara destinatione Te detraheret. Fac esse, penes quem multi sint Sophoclis libri antiqui, calamoque formisque metallicis exarati, aut e multis enotatæ variæ lectiones, aut doctorum hominum ad Tragicum observationes ineditæ; quæ quam sint utilia instrumenta, quam splendida supellex, inepti esset, optime Te gnarum docere velle. At usum sui nullum præstant uti non callentibus, dignumque & idoneum editorem sola non efficiunt; ingenium sagax, judicium acre, Græcæ linguæ perfectam peritiam, usum veterum poetarum, Homeri, tragicorumque multenni consuetudine acquisitum, mire acuunt, & adjuvant, non creant, non, ut novæ nuptæ dotem, afferunt. Quod si facerent, aut summi, aut nihili fierent, vel Midæ soboli obnoxia. At non faciunt, neque valent. Unde enim nobis tot exempla eorum, qui chartaceis ejusmodi opibus abunde instructi usum & pretium earum ignorant? Ea nimirum solet esse, quod sæpe observavi, fortunæ æquitas dicamne, an iniquitas in dispensandis suis bonis, ut,

qui

qui eam indulgentem, largam, prodigam, habuerint, iidem duram, parcam, iratam experiantur Minervam. Parum dico si domesticas Criticorum opes illis adscititiis futuro cujusque veteris libri editori non minus dico necessarias. Non satisfacio mihi, nisi illud opum atque præsidiorum genus huic multis modis præferam. Utroque Tu polles, Valckenari. Quis enim Te non novit, pullum *Hemsterhusii*, Græcæ literaturæ regnum hac ætate tenentis? Quem fugit Homerum Te imbibisse, cujus imitatione Sophoclem crevisse, H. Stephanus singulari libello demonstravit? Totum veterum poetarum gregem ita Te contubernales habere, ut eos, tanquam digitos Tuos, calleas, Te Hesychium totum devorasse, Te grammaticorum Græcorum perreptasse & everrisse cubilia, Te valere judicii robore, animi constantia, & laborum patientia incredibili, quis dubitat, qui Te quidem norit? Absque quibus adminiculis, qui Sophoclem edendum capessit, frustra est, ideo quod, quam arduam in provinciam invadat, quam impar, haud intelligit. Tibi vero quæ adesse dixi omnia, non tam ego dico, quam Ammonius Tuus, & utrumque opusculum, quo Fulvium Ursinum nuper

ornasti,

ornasti, ne alia commemorem. Leidensem illam bibliothecam libris cum manu exaratis, tum impressis, quos doctæ manus illustrarunt, divitem, vidi ipsemet quam sedulo defloraveris. Monstrasti mihi, ni fallor, exemplum Sophoclis, quod summus *Josephus Scaliger*, quem Tu ceu divinum hominem admiraris, manu sua, emendationibus & obelis illustravit atque distinxit, in eadem tot donariis splendida bibliotheca dedicatum. Ab excessu meo e Belgio Te semel adhuc facto Leidam trajectu ex illo fonte sitim restinxisse accepi. Adest Tibi quoque oraculum spectatæ fidei, Hemsterhusius. J ergo assere firmaque patriæ Tuæ & vicinis Batavis laudem diuturno humaniorum literarum studio partam, ad quod nos cæteræ nationes frigere credimur. Depone metum ab illis, quos rei in aliis similibus male gestæ conscientia, si sapiant, ab ausibus temerariis absterrebit. Non deesto virtuti Tuæ, quæ scenam illustrem flagitat, non precibus & adhortationibus meis, æquissimis, puto, & honestissimis. Ego quidem, Tibi ut prosperi cum valetudine successus contingant, merito & lubens opto.

Sed in viam revertor, & hoc ipso de meo instituto quæ monenda supersunt ad-

adjungo. Editis aliquot animadverſionum mearum ad Græcos auctores ſpeciminibus jam conſtare exiſtimo, qualem ea me in re gerere ſoleam, ut ſuffecerit ad adumbrandam hujus opuſculi indolem dixiſſe, ab exemplo me meo non deſciviſſe; quod quare optaverim, quum expoſuerim alibi, non opus eſt hoc loco repetere. Studeo equidem lectoribus & editoribus futuris librorum Græcorum prodeſſe. Quæ mea laudabilis voluntas ſatis, credo, valebit eo, ut tædium, quod ab harum notularum macie abeſſe non poſſe ſentio, minuat. Erunt qui meam circa notandos pravos commatum & punctorum poſitus ſedulitatem ut minutam & inutilem traducant. Quos confido ſibi parſuros mihique eſſe, ſi quantum momenti hæc, quantumvis minuta videantur, in utramque partem habeant, quantaque, ſeu luce, ſeu caligine, lectores veterum librorum recte ſecusve conſtituta circumfundant, intelligerent. Non dedecorat profeſſionem hanc meam ſtudium, quod, quia neceſſarium eſt, utile procul dubio etiam eſt, & exemplis ſummorum hominum honeſtum. Circa numeros verſuum haud parum laboratur ab iis, qui poetæ noſtri

dictiones laudant, editionibus plerisque nullos, aliis vehementer discrepantes exhibentibus. Ad illum ordinem pertinet Canteriana, typis Plantini Antverpiæ A. 1579. forma minima excusa. Quæ si numeris non caruisset, suffecisset nobis sola. Est enim omnium emendatissima. Cito igitur numeros in Ajace quidem & Electra & Antigona atque Trachiniis, editionis Oxoniensis a Th. Johnsono ineunte hoc sæculo curatæ, in reliquis editionis Genevensis ex officina Pauli Stephani; quamvis forte suffecisset uni huic adhærescere, a qua Johnsoniana discrepare deprehensa mihi non fuit. Mendas a Cantero aut jam expunctas, quamvis a Stephano recoctas, aut notatas & conjecturis correctas, tametsi easdem in conjecturas ipsemet, ut fit, incidissem, nolui tamen iterare, ne illas quidem velut e tumulo protrahere, in has autem, non absque invidia & suspicione cupiditatis, invadere, tanquam in agrum alienum, quibusdam viderer. Judicium de singulis Canteri, aliorumve conjecturis ferre cavi prudens. Fuisset enim arrogans, erat quidem profecto nimium, & a forma hujus opusculi alienum; quod conjecturas in poetam promittit, non ea, quæ editoris sunt. Probis aliorum inventis, vel tacitus, subscribo, ut par est, omnemque inventionis laudem, in cujus partem venire licebat, primis auctoribus lubenter transscribo. E contrario non erit intelligens rerum, qui prava, non admonitus, ultro non deprehendat. Recentiorum Criticorum, in quibus summos Viros, *Wesselingium, Dorvillium & Valckenarium*, item,

item *Richardum Dawesium* nominare sufficit, observationes ad Sophoclem, in Probabilibus, in animadversionibus ad Charitonem & Ammonium, in Miscellaneis Criticis denique, aut veterum illas per Facem Criticam Gruteri sparsas, indagare, afferre, examinare, neque licuit per negotia, neque libuit, repudiavit etiam ratio hujus libelli, denique copia quorundam, ut *Dawesii*, quod supra dicere memini, non fuit. Inspersi tamen uno alterove loco si quid memoria a lectione Verosimilium *Jo. Piersoni*, juvenis pereruditi, recens suggereret. Henrici Stephani notas ad Sophoclem inspexi aliquoties, non continue. Quo fieri facile potuit, ut praelibatas doctissimo typographo conjecturas in meis reposuerim nescius. Quod si forte contigerit, contigisse autem oppido raro spondere ausim, deprecor plagii invidiam, a quo crimine longissime absum & abhorreo. Ut alii facile fidem adhibeo, asseveranti eandem mecum in sententiam incidisse, non enim unius peculium est veritas, ita non existimo fore quemquam tam aut ignarum humanorum casuum, aut iniquum, ut aut nesciat, aut dubitet saepe contingere, ut idem argumentum tractantes non tam ingenii quadam aut consensione aut felicitate, quam ipsius rei ductu deferantur. *Saepe fossores metallorum diversis meatibus cuniculos cogunt.*

At non aeque faciles habebit, praevideo, mea in leges prosodiae Graecae peccandi audacia. In ea enim sum opinione, quam pauci erunt qui pravam non appellent, veteres poetas illarum

dictiones laudant, editionibus plerisque nullos, aliis vehementer discrepantes exhibentibus. Ad illum ordinem pertinet Canteriana, typis Plantini Antverpiæ A. 1579. forma minima excusa. Quæ si numeris non caruisset, suffecisset nobis sola. Est enim omnium emendatissima. Cito igitur numeros in Ajace quidem & Electra & Antigona atque Trachiniis, editionis Oxoniensis a Th. Johnsono ineunte hoc sæculo curatæ, in reliquis editionis Genevensis ex officina Pauli Stephani; quamvis forte suffecisset uni huic adhærescere, a qua Johnsoniana discrepare deprehensa mihi non fuit. Mendas a Cantero aut jam expunctas, quamvis a Stephano recoctas, aut notatas & conjecturis correctas, tametsi easdem in conjecturas ipsemet, ut fit, incidissem, nolui tamen iterare, ne illas quidem velut e tumulo protrahere, in has autem, non absque invidia & suspicione cupiditatis, invadere, tanquam in agrum alienum, quibusdam viderer. Judicium de singulis Canteri, aliorumve conjecturis ferre cavi prudens. Fuisset enim arrogans, erat quidem profecto nimium, & a forma hujus opusculi alienum; quod conjecturas in poetam promittit, non ea, quæ editoris sunt. Probis aliorum inventis, vel tacitus, subscribo, ut par est, omnemque inventionis laudem, in cujus partem venire licebat, primis auctoribus lubenter transscribo. E contrario non erit intelligens rerum, qui prava, non admonitus, ultro non deprehendat. Recentiorum Criticorum, in quibus summos Viros, *Wesselingium, Dorvillium* & *Valckenarium*,

item

item *Richardum Dawesium* nominare sufficit, observationes ad Sophoclem, in Probabilibus, in animadversionibus ad Charitonem & Ammonium, in Miscellaneis Criticis denique, aut veterum illas per Facem Criticam Gruteri sparsas, indagare, afferre, examinare, neque licuit per negotia, neque libuit, repudiavit etiam ratio hujus libelli, denique copia quorundam, ut *Dawesii*, quod supra dicere memini, non fuit. Inspersi tamen uno alterove loco si quid memoria a lectione Verosimilium *Jo. Piersoni*, juvenis pereruditi, recens suggereret. Henrici Stephani notas ad Sophoclem inspexi aliquoties, non continue. Quo fieri facile potuit, ut prælibatas doctissimo typographo conjecturas in meis reposuerim nescius. Quod si forte contigerit, contigisse autem oppido raro spondere ausim, deprecor plagii invidiam, a quo crimine longissime absum & abhorreo. Ut alii facile fidem adhibeo, asseveranti eandem mecum in sententiam incidisse, non enim unius peculium est veritas, ita non existimo fore quemquam tam aut ignarum humanorum casuum, aut iniquum, ut aut nesciat, aut dubitet sæpe contingere, ut idem argumentum tractantes non tam ingenii quadam aut consensione aut felicitate, quam ipsius rei ductu deferantur. Sæpe fossores metallorum diversis meatibus cuniculos cogunt.

At non æque faciles habebit, prævideo, mea in leges prosodiæ Græcæ peccandi audacia. In ea enim sum opinione, quam pauci erunt qui pravam non appellent, veteres poetas illa-

rum legum & ignoravisse partem maximam, & tanti non fecisse, ut vim sermoni suo elegantibusque, quas animo concepissent, sententiis mallent, quam syllabarum modulis facere, quos otiosi grammatici, multo tempore post, corrupta jam & facundia, & aure, & ingeniis Græcis, sublegerunt e poetis, & nobis nimium credulis, eodem prorsus modo, atque Rabbini grammaticam suam hebraicam, eamque ejus præcipue partem, quæ accentuatio appellatur, obtrusere runt. Sapientiores illi erant divini homines, quam ut prægravi & intolerabili jugo cervices submitterent, quod non fecissent nisi superstitiosi. Rei suadet natura, & suadet exemplum dialectorum, quæ hodie Europæum hunc terrarum orbem obtinent, illos veteres rhythmo & aurium judicio fuisse usos, illam autem, quam commenti sunt recentiores μετρονύφωνες, syllabarum mensuram, tam nullo habuisse in loco, ut modo corriperent, modo producerent, easdem syllabas, ut res præsens exigeret, modulo illis non inhærente ex natura sua, sed per pronunciationem vario accedente. Non hæc est animi lubido ad nova confingenda & rixas ciendas proni; sed quo magis tero Græcos poetas, eo magis ineptias contemnere & ridere disco, crescente in dies numero exemplorum, quæ poetas jure suo usos fuisse & grammaticastros cum regulis suis prosaicis multum plorare jussisse, clare clamant, quæ exempla tot & tanta sunt, ut quantacunque libidine in extergendis & obscurandis iis grassentur, ingenium tamen eos digitique citius, quam hæ, quas crepant, aut licentiæ

poe-

poeticæ, aut corruptelæ librariorum, defecturæ sint. Compares veteres poetarum, præsertim tragicorum, editiones cum recentioribus, & miraberis atque stupebis, præcipue in choris, multo majorem, qua usi sunt nasuti editores a nostra ætate propiores, vana persuasione freti, licentiam atque temeritatem, quam est illa scilicet mea, qua veteres poetas a servitute in libertatem pristinam assertum eo. Bone deus, quæ illi non ausi sunt attrectare, invertere, discerpere, purissima, & aptissima quæque, non alia de caussa, quam quod a pertica sua abirent. Quæ quotus est quisque hodie, qui non probet, qui non laudet facinora? Vix ausim vel unius meæ caussæ suffragium spondere. Tam alte inhærent a magistrorum auctoritate animis infixæ pravæ persuasiones, ut malimus locis auctorum integerrimis vim inferre, quam vanitatem somniorum grammaticalium agnoscere. Nemo non erit *Dorvillio* similis, cujus Viri Vannum Criticam qui legerit, is norit hominem fuisse totum Hephæstione & Græca prosodia differtum, &, si quem castigandum sibi sumsisset, linguæ haud sane temperantissimum. Huic Viro quum aliquando meas quasdam in hunc ipsum Sophoclem conjecturas judicatum exhiberem, quæ ipsi majestatem ejus regni, in quo ætate sua facile principatum tenebat, lædere videbantur, memini, quam supercilioso fastidio eas abjecerit, quam acerba convitia mihi, appendici familiæ nempe, coram, & per literas, quas servo, ingesserit. Neque me fugit, quali me procellæ objectum eam. Sed silentio excipere omnia illa

tela animo sedet, quæ in me ob Græcæ prosodiæ seu inscitiam seu negligentiam torquebuntur. Illos interea Criticorum, qui æqui hac quidem in re fuerint, si qui fuerint, rogatos cupio, velint, hac de prosodia Græca controversia velut nondum judicata, in aliud tempus seposita, & accusationibus, quibus meæ conjecturæ hoc ex titulo erunt onerandæ, tantisper repudiatis, ipsa illarum conjecturarum ea momenta ponderare, quibus vulgatas lectiones, mea quidem sententia, vincunt. Solet philosophis hoc indulgeri, ut in rerum obscuris caussis indagandis æque dubias sententias in medio ponant. Quæ si satisfaciunt modis aut omnibus, aut plurimis certe, neque est, quod manifesto pugnet, nemo intercedit, quo minus illæ sententiæ pro veris, aut a veritate proximis habeantur. Quod si ergo pariter illæ, quas propono, conjecturæ & sermonis Græci indoli, & menti auctoris aptiores sunt, multoque plus cum lucis, tum decoris & nobilitatis conciliant, quam vulgares lectiones, duræ, solœcæ, incongruæ, humiles, caliginosæ, aliis omnibus, præterquam metri, rationibus ineptæ; si non magis commoda, quam necessaria, transpositione versuum in choris, tormentis illis, per quæ novi prosodistæ cogunt veteres poetas liberum spiritum præcipitare, membra poetarum, ab istis commentitii metri violentiis misere luxata & discerpta, nativum in ordinem eumque verborum & sententiarum nexum repono, absque quo sanus nullus extundi sensus valet, cujus rei nunc tantummodo documentum unum ex Euripidæ Troadibus v. 814. & 815. & Bacchis

v. 144.

v. 144. & sequentes allegabo, quos nuper in Actis Eruditorum restitui: plura paulo post in integris ad eundem poetam notis, favente numine, daturus: iniquusne ero, flagitans meas suasiones tantisper admitti, donec fundamentum, quo illæ nituntur, eversum fuerit, & prosodiæ Græcæ, qualem a Grammaticis traditam accepimus, integra sua constiterit auctoritas? Verum tam valet & stringit & firmum perstat hoc, quod modo attuli, e choris petitum argumentum, ut non videam, quibus machinis convelli queat. Nam si sana ratio nonnunquam in choris versus quasdam transponi, jubet, idque faciendum esse ex eo liquido apparet, quod vulgatæ lectionis turbata, impedita, clauda non tantum non intelligi atque defendi, sed ne dissimulari quidem & incrustari ullo modo possunt: consequitur veteres alio versus ordine effudisse, non eo, in quem subtiles prosodistæ ipsorum choros conciderunt. Periit igitur & nulla est tanto recentiorum acumine & labore excogitata, tamque affabre structa stropharum & antistropharum series, ut versus versui, pes pedi, modulis exactissimis respondeant. Quo fit, ut, si quid forte hiare aut non congruere deprehendatur, mire trepidetur a pusilli animi hominibus, nemoque sit tam profanus, ut sacræ hujus catenæ vel unum movere aut eximere annulum audeat. Proh deum hominumque fidem, quæ miseria! Sed hoc non hujus loci est peragere. Sufficiant, quæ dixi, ad declarandam hac de re meam sententiam, & semel mihi dicta sunto, (neque enim volupe est, aut unquam erit, iterare) adversus eos, qui legis pediæ reum me agent, eoque

eoque prætextu partem mearum conjecturarum vexabunt. Revereatur, per me licet, tribunal prosodicum quisquis censeat; mihi autem liceat velim jure meo uti, istique tyrannidi nihil in me juris permittere. Sequantur exemplum illi, quibus ad deprehendendas in vetustis poetis exigendasque mendas, quæ temporum lapsu & librariorum inscitia irrepsere, satis ingenium, animusque & manus valent, ut fragili illo metrico bacillo, quo non nisi effœta ingenia fulciantur, opus non habeant. Audeant liberaliter sapere illi, qui humiles, enerves, & angustas sententias, illiberalesque & sordidas & contortas dictiones, quas unum puerile metrorum artificium sustinet, e tragicis poetis deletas, grandesque & robustas, & lectore quovis bene nato, ipsisque tantis nominibus dignos, sermones redditos ipsis mecum volent.



Ad



AD
SOPHOCLIS AIACEM.

51 Δυσφόρους accipio pro παραφόρους & γνώμας pro speciebus visui & menti spectatum oblatis. Agnitiones pro rebus quæ agnoscuntur.

55 φόνον) f. φύλον aut γόνον.

58 ὅτε δ' ἄλλοτ' ἄλλαν.

97 aut ὤχμασας *attulisti* malim, quod etiam Scaligeri versio suadet *molitus manum es*, aut ᾔμαξας *cruentasti*. 119 ἦ (pro ἦν).

153 τοῖς σοῖς ἄχεσ' (i. e. ἄχεσιν) ἐγκαθυβρίζων.

154 ψόγον (pro ψυχῶν)

163 ταύτας γνώμας προβιβάσκειν *eo usque sapientiæ promovere, adigere.*

176 ἀκαρπώτου.

179 pro ἤ τιν' leg. σοί τιν'.

185 τὸ σὸν (id est τό γε σὸν μέρος) quantum quidem in te fuerit, tua sponte.

192 ὄμμ' ἔχων) aut ἐμμένων, aut συμμένων, eodem sensu.

199 πάντ' ἀγκαγχαζόντων, id est πάντα ἀνακαγχαζόντων, scilicet βαρυάλγητα, quæ gravi cum dolore feruntur.

202 γενεὰ in vocativo.

205 ὁπλοκράτης *scutiger*, aut potius πωλο-κράτης *equorum domitor.*

212 στέρξασαν ἔχει. Nam coactus στέργει, vel invitus amplectitur conditionem obtrusam, ut fœmina bello capta στέργει λέχος δορυάλωτον, non vir sponte sua thori sociam sibi sumens.

224 τὰν μέγα τῶν Δαναῶν. *quæ vehementer a Danais celebratur.*

226 ὁ μιγὰς μῦθος *miscellæ turbæ sermo* in majus effert & latius diffundit.

245 τιν est absque apostropho scribendum. Est enim integra vox, idem notans atque σοὶ *tibi. Tempus tibi nunc est.*

297 ταύροις *una cum tauris.*

304 f. ὅσην οἱ αὐτῶν ὕβρεις ἐκτίσαι τίσιν *& quantas pœnas sibi dederint ipsorum injuriæ.*

309 ἕζετο, κἀῤῥνειοῦ φόνου (id est καὶ ἀρνειοῦ φόνου) κόμην, ἀπρὶξ ὄνυξι συλλαβὼν, φύρει, *& inquinat comam cruore ovillo, unguibus mordicus correptam.*

313 φαναίμην leg. Nam quod editum est, φανείην, hunc non quadrat, optativ. nempe aor. 2 passivi.

317 ὁ δ' οὐ μὲν ἐξῴμωξεν.

326 ἐσθ' ἡμᾶς τι δρασείων.

329 εἰ δύνασθ' ἔτι *si adhuc potestis.*

334 τάχους δεῖ, ὦ ἔται, μᾶλλον *properare oportet, amici, magis* — quam sc. facimus.

360 πημονὴν ἀπαρκέσοντα- vel πημέων. Nam πῆμος idem eſt quod πημονὴ *damnum, noxa.* Excuſari quodammodo poteſt verbum ἐπαρκεῖν, ſi nempe ſic accipiatur ac ſi ſcriptum eſſet ἀρκέσοντα ἐπὶ τῶν πημέων vel πημονῶν *juvaturum in noxis.*

447 τό τ' ὄμμα, (ſcil. διάστροφον.

448 τῆς ἐτερῆς *a recta ratione.*

462 πατρὶ δὴ δώσω.

470 οὐκ ἔστιν, ἀλλὰ πεῖρα.

